

Badische Landesbibliothek Karlsruhe

Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe

**Petra denùo percussa stillat copiosé Quintum opus
Marianum**

Geisler, Benedict

Augustae Vindelicorum, 1744

Vorwort

urn:nbn:de:bsz:31-34170

Pretiosissima Dei Mater M A R I A.

Ecce o Regina Angelorum, & totius universi Domina semper magnifica, ope & intercessione tuâ potentissimâ coepi hoc opus exile & favore tuo id perfeci; jam lucem publicam aspiciere desiderat; nemini nisi tibi o Maria magna Mater Dei, id offerre, consecrare, & dedicare possum, quia omne id quod sum & quod habeo, post Deum Tuæ gratiæ adscribere teneor. Verè hic labor meus liber erit ab omni crysi & sinistra censurâ, si tuâ illum protectione custodias; offero tibi eundem in gratiarum actionem pro omnibus beneficiis; quia secundum fidelem servum tuum S. Chrysostrum beneficia confiteri, & gratias agere, est denuo stimulare largientem ad nova dona elargienda. Suscipe hoc exile opus o Maria Mater mea amantissima, cum solitâ benignitate, & assiste mihi ulteriùs pro honore & laude Dei laborare. Patrocinare interea pro me servulo tuo in hoc mari periculoso; confugio enim sub tuum præsidium & protectionem ut mihi semper assistas, ubique protegas contra hostis maligni insidias. Elargire mihi præsertim in horâ mortis meæ gratiam finalem, & habe curam animæ meæ, & in illo puncto, unde pendet æternitas, certa mecum contra potestates tenebrarum harum; non recuso jam agere poenitentiam pro peccatis meis, ut in exitu animæ meæ per te ducar ad conspectum divinum. Tali fide me prosterno & projicio ad pedes tuos beatissimos, & te veneror & agnosco

Matrem meam amantissimam

peccatorum omnium abjectissimus & Clientum
tuorum infimus

BENEDICTUS GEISLER, CAN. REG.